166.

De Vitâ et Moribus

JOHANNIS BURTONI, S.T.P

Etonensis.

EPISTOLA

EDVARDI BENTHAM, S.T.P.R.

AD

REVERENDUM ADMODUM

ROBERTUM LOWTH, S.T.P.

EPISCOPUM OXONIENSEM.

OXONII:

E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO,

MDCC LXXI.

Proſtat apud FLETCHER, PRINCE, BLISS, *Londini*, apud WHITE.

225

BRITISH
MUSEUM

REVERENDO ADMODUM

ROBERTO LOWTH,

EPISCOPO OXONIENSI

EDV. BENTHAM S.

TU quidem, Vir Optime, pro Tua Amicitia benigne, pro Solicitudine Tua paterna erga bonas Literas et erga Religionem digne facis, qui Obitum amiciſſimi viri, Johannis Burtoni, licet pro affectæ ætatis imbecillitate maturum, et omnium expectatione præviſum, tam clementer deploras.

Ego quidem deſiderio Burtoni me vehementer commotum eſſe non diffiteor. Moveor enim tali orbatus amico, qui me ſemper Filii loco habere conſuevit, ſicut et ego Illum Parentis.

O ſi mihi idem ille ſpiritus contingeret, quali ipſe animatus ferebatur ad Viri Sanctiſſimi atque ex omni parte præſtantiſſimi Seckeri laudationem peragendam, non Ille nullo præconio honeſtatus decederet, nec inglorius jaceret, nec careret Oratore et Vate ſacro! Quis autem Ego ſum? qui memet Illius laudis Aſſeclam et Adjutorem auſim adjungere! Hoc tamen vocis meæ officium poſtulare videtur illa pluſquam quinquaginta Annorum, quæ inter nos interceſſit, Amicitia. Intereſſe etiam Reipub. exiſtimo, ut exempla talium Virorum literis mandentur, et ad aliorum ſive imitationem ſive admonitionem ſive opprobrium proponantur.

Audendum itaque aliquid decrevi atque, quanquam invita fortaſſe Minerva, tentandum. Currenti calcar Ipſe addidiſti. Quæcunque interim pro perſpicaci acumine Tuo ſubnotabis ſcriptionis vitia, ea omnia Dolori meo Candor tuus condonabit. Quin id potius vellem, ut quem Ipſe omni honoris officio deplorandum cenſuiſti, quem vivum coluiſti et amâſti, Eundem illum calamo tuo depingendum et ornandum ſumſiſſes.

Hæc autem fere ſunt quæ de Burtono ipſe comperta habeo. [a] Natus erat in vico Devonienſi, Wembworthiâ; Patre Clerico, ibi-

[a] A. D. 1696.

dem

dem Rectore. Literulis Grammaticis Okehamptoniæ primo imbutus; deinde in Elienſi Schola; quippe mortuo Patre in tutelares ædiculas Samuelis Bentham, Clerici, ex materno genere Conſobrini, receptus.

In iſtius Ludi literarii obſcuritate laudibus ingenii induſtriæ et probitatis ita efflоruit, ut Doctiſſimus Carolus Aſhton, S. T. P. Coll. Jeſu Cantab. Præfectus et Eccleſiæ Elienſis Præbendarius, eum in ſuo Collegio nutriendum decreverit. Cum autem interea Thomas Turner, S.T.P. Coll. Corporis Chriſti Oxon. Præſes, et Eccleſiæ Elienſis itidem Præbendarius, fortunâ ita ferente, eum accerſeret, ut vires ſuas in certamine literario experiretur, primas tulit Burtonus; et in Diſcipulatum cooptatur annos natus ſeptendecim.[a]

In iſto Collegio, bonarum artium ſanæque diſciplinæ laudibus florentiſſimo, ſpem de ſe conceptam adeo non fefellit, ut indies uberius auxerit. Itaque a ſapientiſſimo Præſide Johanne Mather Tutoris Officium graviſſimum ei adhuc in Artibus Baccalaureo demandatur. Mox a Collegio ad Linguæ Græcæ Prælecturam obeundam deſignatur. In toto Adoleſcentiæ ſuæ curriculo omnium fere Ordinum Academicorum animos ſibi devinxit. In vitæ com-

[a] A. D. 1713.

munis

munis conſuetudine hilaris et jucundus : In formulis illis, moribuſque præſcriptis, quæ velut in præſidium ſanæ diſciplinæ, et quaſi quædam virtutis propugnacula, a Majoribus noſtris conſtituuntur, obſervandis diligens et attentus.

Studiorum intervalla, ſive Luſibus quæ ad corporis agilitatem et firmitatem, vel augendam vel conſervandam, pertinebant, ſive Colloquiis innocuâ feſtivitate conditis ita diſpunxit, ut æqualibus nemo gratior et ſuavior reperiretur ; quippe ad omnia Amicitiæ et Benevolentiæ officiola, quæ iſti ætati conveniunt, obeunda alacer ſemper et expeditus. Nemo interim (quæ erat ipſius ingenii et eruditionis inter Academicos fama, itemque in rebus ad ipſius Academiæ Diſciplinam attinentibus procurandis ſedulitas) Provectioribus acceptior habebatur.

Nihil ab eo actum in Convocatione temere et pro libitu, aut cum contumeliâ Superiorum ; nihil ex Partium ſtudio aut occultis conſiliis Conventiculorum moliebatur. Si quid extra Ordinem, ſiquid minus pro dignitate Academiæ attentari videret, libere animi ſui ſenſa proferebat, ſive illa meditata ſibi eſſent, ſive pro re natâ exorta ; eaque eloquio explicata dedit non minus prompto et facundo quam erudito.

Clariſſimus

Clariſſimus ille Regius Theologiæ Profeſſor Potterus,[a] quo nemo unquam vel uſu exercitatior, vel judicio, eruditione, copia inſtructior, Scholæ Theologicæ præfuit, quatenus multiplicia ingenii et eruditionis ſpecimina ab eo prolata in Diſputationum Theologicarum decurſibus animadverteret, inſigni quâdam cum obſervantiâ et gratiâ eum complectebatur. Erat enim in delectu argumentorum ſolers, in eorum diſtributione accuratus; in diſputando ſubtilis, acer, promptus: non contentus ea, quæ ad Conſtitutionem Quæſtionis pertinerent, ſerviliter aliunde mutuare et exſcribere; imo ea omnia partim ex ſeveræ meditationis officinâ extudit ipſe; partim diſcrimine Librorum habito collegit; ſubactâ quâdam judicii ſeveritate libravit, et eloquentiâ Ciceronianâ veſtita protulit. Ita nimirum in animum induxerat ſuum, Academiæ dignitatem in iis Proluſionibus magnopere contineri, quæ palam et in propatulo eſſent proferendæ. Dolebat itaque et indignabatur, quoties aliquid in Scholis, in Theatro, in Eccleſiâ, aut temere ſuſceptum videret, aut oſcitanter, negligenter et imperite adminiſtratum. Quotieſcunque vero aliquid dignum Ordinibus Academicis actum videret vel au-

[a] Poſtea Archiepiſc. Cantuar.

diret,

diret, de eo gaudebat, gratulabatur et plaudebat, tanquam felix quiddam fauſtumque ſibimet ipſi contigiſſet.

Exiſtimavit largi Vir animi Omnium bonarum Artium Societatem uno quodam vinculo contineri: Illius autem firmandi munus ad Academias potiſſimum demandari: Diſcrimen earum eſſe habendum pro dignitatis ratione; Nullam vero eſſe repudiandam in qua Utilitatis ſpecies vel adumbrata poſſet reperiri.

Matheſin ipſe non attigit; Hebraica neſcivit. Sed tamen in utroque laudis genere Coryphæos ſuſpiciebat, colebat, venerabatur; Pupilliſque auctor erat ut utriuſque, et quidem omnis omnino, Eruditionis elementa, in quadriennali ſuo curſu, condiſcerent: Quæ ipſe non intellexit adeo non damnavit, ut Suis adjumenta aliunde conquireret, prece, aliquando etiam pretio, conducta, ut ex omni parte officio ſuo, quanquam alienâ operâ, ſatisfaceret. Quo quidem in genere, honoris cauſâ, a me nominandus eſt ille multifariæ eruditionis indoliſque liberaliſſimæ laude cumulatus Thomas Randolph, Collegii Corporis Chriſti Præſes, et pro Dominâ Margaretâ Prælector Theologiæ graviſſimus; qui in Mathematicâ, tam purâ quam mixtâ, ultro ſe

Ducem

Ducem et Adjutorem mihi cum aliis compluribus, et quidem gratis, contulit.

Is ſcilicet erat Burtonus, cui in re Tutoriâ adminiſtrandâ ratum fixumque erat plurimum facere, et minime multum lucrari. Credebat nimirum omnibus iis, qui ad Fundatoris alicujus eleemoſynam participandam admittuntur, ſedulo agendum eſſe, ut Cognitionis acquiſitio fiat quam maxime ἀδιαπτωτος. Pecuniam in loco negligere quæſtum ſibi uberrimum reputavit, quotieſcunque paupertate oppreſſi ingenioque valentes ipſius curæ demandarentur. Eaque porro erat ejus benignitas in Pupillos, ea bonitas et facilitas in Amicos, ut poſt labores fere quindecim Annorum in curis Tutoriis exantlatos vix quinquaginta Librarum ſummâ confectâ ab Academiâ diſcederet.

Quo melius Pupillos ſuos in *Dialectices* et *Metaphyſices* elementis inſtitueret, *Sanderſoni* Logicâ, ſubjunctis iis obſervationibus quas ex *Lockio* decerpſerat *J. Clericus*, plerumque utebatur: Inde via ad *Lockium* ipſum explicandum complanatior. *Walliſiana* Logica, quatenus non ſine operoſo quodam molimine res parvas plerumque proſequitur, indies magis magiſque ei diſplicuit.

In *Ethicis*, prælibanda cenſuit Elementa *Ariſtotelea*; additis iis, quæ copioſius et orna-

tius de hiſce rebus diſſeruit *Cicero:* inde ad *Puffendorfii* tractatum compendiarium, et *Sanderſoni* Prælectiones, eorum curas tranſtulit. In *Phyſicis*, poſt Sciagraphiam brevem ad *Bartholini* normam conformatam, purgatam tamen ab erroribus *Carteſianorum*, ad Curſum Experimentalis Philoſophiæ ſub Whiteſidii[a] et Bradleii auſpiciis peragendum eos amandabat: Ipſe pauperiorum cauſam egit, ut nullo cum pecuniarum diſpendio veras Scientiæ divitias a benevolis iſtis diſpenſatoribus participarent.

Ex hiſce fontibus deducendam ſtatuebat materiam Scholaſticarum Diſputationum, quæ, pro veteris Diſciplinæ ritu, ſingulis fere diebus in pleriſque Collegiis celebrari ſolebant. Licet enim in iſtiuſmodi diſquiſitionibus non tam rei ſubjectæ dignitas quàm Diſputandi artificium ſpectari ſolebat, judicavit tamen, perito Quæſtionum habito delectu id effici poſſe, ut quæ in Prælectionibus Philoſophicis didicerant Juvenes, ea haberent magis cognita et perſpecta, dum ſingula Diſputationis trutinâ librarent et perpenderent.

[a] *Joh. Whiteſide*, ex Æde Chriſti, Prælector Publicus Naturalis Philoſophiæ experimentalis, obiit A.D. 1729. Succeſſorem habuit in iſto Officio celeberr. *Jacobum Bradley*, S.T.P. Aſtronomiæ Profeſſorem Savilianum.

Illud

Illud interea ſollicite cavebat ne ſtudiorum, quæ Claſſicorum nomine inſigniuntur, ulla fieret intermiſſio.

In Prælecturæ Græcæ munere obeundo bis in quâlibet ſeptimanâ, Pupillos *Xenophontis* aut *Demoſthenis* ſcripta legentes, et verbum verbo reddentes audiebat, obſervationibuſque ſuis ad Artis Criticæ ſtudium traduxit.

Idem ipſe præſtitit in Latinis Scriptoribus prælegendis, licet rarius: quandoquidem in iſto Collegio, ſicut et alibi, in Lectione Scriptorum Romanorum, bis itidem in quâlibet ſeptimanâ, Juniores exercentur.

Privatis Juniorum ſtudiis non nimium permittendum cenſuit; Experientiâ nimirum edoctus hanc Inſtitutionem magis valere ad fovendam Tutoris deſidiam, quam ad Pupillorum ingenia excolenda. Juniorum enim animos plerumque obſidet innata quædam vis Inertiæ, quæ non niſi Gloriæ Pudoriſque ſtimulis eſt ſubigenda et edomanda: Accedat oportet vigilis quædam Magiſtri cura, quæ acuat excitetque induſtriam; ita ut quæ leguntur minime præterfluant, ſed in ſuccum et ſanguinem convertantur. Ad Stylum itaque exercendum eos ſæpe vocavit, ſive in transferendis probatorum ſcriptorum portiunculis, ſive in proferendis ingeniorum ſuorum fructibus.

Et quidem mira erat Illius Patientia, indefeſſa Diligentia, in recenſendis hiſce Pupillorum ſuorum opuſculis; notando, corrigendo, addendo. Innumera extant quæ hoc in genere, Themata, Declamationes, Orationes, Poemata omnis generis et formæ, in ſuorum, imo et alienorum, gratiam et imitationem ipſe elaboravit.

Quantumcunque vero laudis Claſſicis hiſce Studiis jure tribui videretur, judicavit tamen gloriam eorum ſpectandam eſſe in fructu quem ad Philoſophiam et Theologiam, ad Politicam aliaſque bonas artes tuendas atque ornandas afferrent. Neque contentus modo verbis hæc edicere, uſu comprobavit Ipſe luculentiſſimus ſcribendi artifex; Theologus quippe facundiæ ornatu pariter ac ſoliditate argumentorum inter primos ſpectabilis.

Occupavit etiam animum Burtoni alia cura non levis de Præli Academici dignitate inſtaurandâ et de pauperie Editorum ſublevandâ. A Mathero itaque et Holmeſio aliiſque Vice-Cancellariis ſæpe impetravit, ut Typis detritis in fornacem rejectis novi nitidique ſæpius recuderentur. Cum porro indulgentia illa Parliamentaria [a] de Vectigale remittendo, quod debebatur ex Papyro inſumptâ in Ope-

[a] 10 Ann. c. 19. §. 63. confirmat. 32 Geo. II. c. 10. §. 6.

ribus

ribus literariis prodeuntibus ex Prælo Academico, minus valeret, eo quod Laboris et Pecuniarum impensæ necessariæ ad illud obtinendum pluris merito haberentur quàm ipsum Vectigal, eam causam adeo dextre et feliciter egit, ope quorundam Nobilium amicorum usus, Hutchinsoni illius probatissimi Editoris *Xenophontis* gratiâ, ut nullâ deinceps morâ vel difficultate in illo beneficio consequendo Editores vexarentur. Precibus demum suis ita valuit apud Henricum Rolle,[a] ut donaret centum Libras Academiæ in usum Editorum identidem commodandas: quod quidem institutum utile Gualter. Hodges[b] Burtono item hortante, adeo comprobavit, ut ipse 200 £ in eosdem Editorum usus Academiæ legaret.

Sed nec illa sunt prætereunda quæ in Disputationum Academicarum Reformatione Burtonus et fortiter est aggressus et feliciter assecutus.

In ipso Tutorii muneris ingressu animadverterat, quàm male plerumque consuleretur Juventutis profectui, quantumque ipsi Academiæ opprobrium inureretur ex eo quod in Logicis, in Ethicis et Physicis nullæ fere Quæstiones discutiendæ in Scholis publicis

[b] Devonienſem, Coll. Nov. Sup. Ord. Commenſalem, poſtea Dominum Baronem *Rolle*. [c] Coll. Oriel. Præpos.

propo-

proponebantur, nisi quæ ex veterum Scholasticorum ruderibus desumerentur. Quid mirum si aut Exteri, hoc augurio decepti, minus honorifice sentirent de statu Philosophiæ apud Oxonienses, aut si Juvenes, harum ineptiarum pertæsi, perperam judicarent de Disputationum utilitate, quarum nullum sibi fructum elici sentirent ad Sapientiam sive augendam sive excolendam?

Cum itaque[a] Rerum Academicarum tutela demandata esset Viro dignissimo Joh. Mather Vice-Cancellario, Joh. Conybeare[b] et Barn. Smyth, Procuratoribus; quorum Ille Ingenio maxime perspicaci, Judicio subactissimo valebat, Hic in Scientiis Mathematicis versatissimus habebatur; Burtonus vero constitutus esset Procuratoris Junioris Deputatus[c] et Magister Scholarum, Omnes Hi junctis operibus et consiliis elaborandum esse sibi decreverunt, ut pristinam Academiæ Disciplinam aliquantum redintegrarent, dissipata in ordinem revocarent, obsoleta repudiarent, nova substituerent.

[a] A. D. 1725. [b] Postea Ædis Christi Decano et Episcopo Bristol. [c] Hoc anno Concionem Latinam coram Baccalaureis Determinantibus habuit, quæ inscribitur *Heli* sive Exemplum Magistratûs intempestivâ Lenitate peccantis, —— eo animo conscriptam et editam, ut Academicæ Disciplinæ salubris administratio strenuè exerceretur. Eandem argumentationem filo uberiori prosecutus est in quatuor aliis Concio-

Burtonus itaque, ſerio meditans quid Officii ratio et Academiæ dignitas poſtulabant, Lockium alioſque recentioris notæ Philoſophos in Scholas adduxit, comites Ariſtotele non indignos: Nefas quippe exiſtimans præclara illa, quæ Scientiis acceſſerant, incrementa Juventuti Academicæ invidere.

Quæſtionum porro Philoſophicarum duplicem ſeriem typis promulgavit, Scriptoreſque item varios indigitavit; ex quibus, tanquam fontibus, pleno ſeſe hauſtu Scientiarum Juvenes poſſent proluere, et in omni genere Philoſophiæ ſyſtema aliquod ſibi, delectu habito, conficere.[a] Ipſe deinceps Materiam Formamque Diſputationum Publicarum præſcripſit, omniaque conſilio juvabat, ſtudio ſuſtinebat, auctoritate moderabatur.

Aſſiduus Scholis aderat; Diſputantes pro re nata interpellabat, increpabat, admonebat, hortabatur, et, qui ſtimulus apud ingenuos maxime valet, laudando effecit ut multi laude digni evaderent. Hanc laboris

Concionibus Latinis coram Academiâ Oxon. habitis, editiſque cum Appendicibus de Studiis Theologiæ inſtituendis, et de Vitiis quibuſdam in rerum Sacrarum adminiſtratione tollendis. 1729——1760.

[a] Hoc ſchema ita perplacuit erudito illi Thomæ Johnſon, A. M. Cantabrigienſi, ut communicatis cum Burtono conſiliis, illud auctius daret, et repetitis vicibus ederet in uſum Juventutis Academicæ.

molem

molem per biennium ultro ſuſtinere non detrectabat. Inſidebat quippe illius animo acris erga Almam Matrem pietatis ſenſus, quæ admonebat, ut in quo Illius fama dignitaſque continebantur, nihil a curis ſtudiiſque ſuis alienum putaret.[a]

Nullam interea peſtem bonis artibus funeſtiorem, nullos hoſtes Academiæ magis abominandos reperiri poſſe judicavit, quam eos qui ingenuæ Juventuti fraudem facere, eamque a Virtutis tramite et ab Eruditionis profectu abducere conarentur; Homines nimirum deliciis deditos et ſocordiæ; aliorum famæ invidentes et occurſantes; quarum rerum laudem in repub. literariâ ipſi ſe poſſe aſſequi deſperarent, eas verbis elevantes; et deriſione quâdam ſubdolâ ad contemptum Juniorum propinantes, et in deſuetudinem detrudere ſatagentes; de Academiæ dignitate magnifice differentes; ad eam vero ſuſtentandam et augendam nihil conferentes niſi inanem quandam jactitationem; multa loquentes, nihil agentes. Huic libidini hominum nocentiſſimorum capitale indixit bellum, libe-

[a] Hoc animo, quo obviam iret malevolorum quorundam calumniatorum opprobriis Academiam Oxonienſem malæ fidei crimine inſimulantium circa Editionem Hiſtoriæ Comitis de Clarendon, totam hanc cauſam diligentiſſime perſecutus eſt, in Tractatu inſcripto, *The Genuineneſs of Lord Clarendon's Hiſtory &c. Vindicated &c.* 1744.

reque

reque et aperte eorum offenſionibus ſe objecit.

Paulatim vero deferbuit illa, quæ honeſtos auſus aliquando retundere ſolet, Invidia; Adoleſcentulorum male feriatorum Protervia coercebatur, Ignavia extimulabatur; Ingenuorum Diligentia fovebatur, ut, contemptis illis quotidianis et detritis ineptiis, quæ de manu in manum traditæ ridiculam Diſputationis formulam continebant, proprio Marte contenderent, et ad vires ingenii in materiâ utili jucundâque periclitandas accenderentur.

Dum creſcente Diſciplinæ Academicæ exiſtimatione, ipſi pariter Burtono fama accreſceret, accidebat ut Homines quidam genere et loco ſuperiores de Coloniâ ad Georgiam Americanam deducendâ cogitarent, idque ſpecie, nec illâ quidem fucatâ, utilitatis publicæ promovendæ. In rebus ſacris Socium imo et Ducem ſibi præſtituerant Venerabilem illum Senem Thomam Bray, S.T.P. Virum de Americanis, ob Religionem ibi ſuis laboribus propagatam et ordinatam, et, ob Parœcialium Bibliothecarum per Angliam inſtitutarum beneficia, de Patriâ ſuâ optime meritum.

Is Burtonum cum celeberrimo Stephano Hales, Gulielmo Berriman, aliiſque melioris notæ Clericis Londinenſibus hortatus eſt, ne

hiſce inſtitutis tam piis et ſalubribus deeſſet. Burtonus onus Providentiâ divinâ ſibi impoſitum minime detrectandum cenſuit: ſedulo operam navavit [a] in rebus Provinciæ ſacris ordinandis, et fautor Bibliothecarum Parœcialium [b] ad mortem uſque egregius perſtitit.

Acciderat etiam ut Juvenes quidam eruditione et ingenio præcellentes a celeberrimâ Scholâ Etonenſi ipſius curæ tutelari mandarentur. Inde illi commercium tam Epiſtolicum quam Sociale cum Magiſtris, atque inde etiam cum Præpoſito, Sociiſque iſtius Collegii. Ex hâc conſuetudine diuturnâ perſpecta hominis indoles; cogniti probatique mores; ita ut dignum cenſerent, quem in Societatem ſuam accerſerent et eligerent. [c]

Eodem fere anno, defuncto Edv. Littleton, LL. D. Vicarius de Maplederham in Com. Oxon. ſufficitur. Jamque conſpicienda erat illa, quæ defunctorum Clericorum ædes ſæpe ſæpius obſidere ſolet, humanarum rerum viciſſitudo calamitoſa et plane miſerabilis: Vidua cum tribus Filiolis, ſine Lare certo,

[a] Concionem habuit coram hâc Hetæriâ, A.D. 1732. quam edidit cum Appendice de Coloniæ iſtius ſtatu.

[b] Hujus Inſtitutionis conſilium fuſius expoſuit J. B. in *An Account of the Deſigns of the Aſſociates of the late Dr. Bray, with an Abſtract of their Proceedings.* 1764. [c] A. D. 1733.

certo, ſine Fortunarum ſubſidiis. Tenerum Burtoni animum commovit caſûs inopinati miſericordia: Ex miſericordiâ Amor Nuptiæque. Erat enim iſta Fœmina, ſi qua alia, formâ venuſtâ, moribus ad elegantiam apprime compoſitis, ingenio ſagaci et exculto, indole ſuaviſſimâ, moribus honeſtiſſimis.

Quotuſquiſque vero inter ſtudiis literarum deditos reperitur, qui ab umbratilis vitæ ſeceſſu evocatus non illico ſeſe imparem ſentit rebus domeſticis adminiſtrandis? Quàm pauci rei ſuæ nummariæ rationes recte ſubducunt? Quàm difficile eſt indoli cuivis generoſiori præſentis Sæculi corruptelis obſiſtere --- aut ſibi temperare, quin domeſtici cultûs ſplendorem ultra fortunarum modulum affectet, et in ditiorum Vicinorum imitationem abripiatur? Hæc certe fundorum Clericalium calamitas ſæpe ſæpius Literatos vexare ſolet. Cum porro Burtono Domicilium in amœniſſimo loco eſſet conſtitutum, nihil ſibi vel ad oblectationem ingenuam jucundius, vel ad publica commoda utilius inſtitui poſſe judicavit, quàm ut, pro guſtûs ſui modulo, Ædificia reficeret, erigeret, ornaret; utque ſe pecuniaſque ſuas traderet Hortulorum amœnitatibus excolendis, Arboribus ſerendis vel ablaqueandis, Agellis concidendis et extricandis, Viis ſternendis, ſimilibuſque rebus

exequendis,[a] quibus aliquo modo Succeſſoribus ſuis ſeſe gratificari poſſe ſperaret. Eadem poſtea inſtitutio operum, eadem erogatio pecuniarum apud Worpleſdon in agro Surrienſi. Hinc fiebat, ut Redituum ubertas, pro Statûs ſui dignitate, pro diurnis Uſibus ſuis, atque etiam pro Votorum ſuorum modulo ſatis ampla, aliquando ad anguſtias redigeretur. Eam tamen Burtoni opinionem de Succeſſorum ſuorum ratione habendâ, ſiquis temerariam, et, prout hominum ſunt ingenia, aliquando fallacem improbaverit, ita tamen reprehendat, ut benevolentiam conſilii agnoſcat ex veræ magnanimitatis fonte fuiſſe derivatam.

Tandem Uxore fato functâ,[b] Burtonus, in hâc Filiolarum orbitate, de affectu, curâ aut liberalitate erga eas nihil remiſit. Sed exſolutus Matrimonii vinculis ad Collegium Eto-

[a] Calcetum iſtud per ſtagnum paludoſum apud Woodbridge, qua via ducit a Surriæ partibus Borealibus ad Guilfordiam, ipſius Conſilio et Operâ inſtitutum, pecuniiſque collatitiis tam ſuis perfectum quam Aliorum, teſtimonium diuturnum ejus Judicii et Diligentiæ in his rebus conſervabit. Huc etiam referantur, quæ ſubſecivis horis, apud Maplederham in Com. Oxon. obſervata collegit ediditque de Navigationis per Fl. Thameſin incommodis tollendis.

[b] A. D. 1748. Vide ejus Meditationes de luctuoſâ iſtâ calamitate, in quibus continentur tenerrimi Affectûs Dolores et Suſpiria, inter *Opuſcula*, p. 118, 130 et 147.

nenſe

nenſe per majorem anni partem ſe tranſtulit; Amiciſque opitulandis ſtudiiſque Literarum excolendis totum ſe tradidit.

Et certe in iſto ſeceſſu literario omnia vigent maxime, quæ apud modeſtos haberi poſſunt pro felicitatis ſive inſtrumentis ſive ornamentis; Doctorum hominum conſpectus quotidianus, conſuetudo amabilis; Libraríæ ſupellectilis copia larga et quidem elegantiſſima; Menſarum apparatus, ad ſolamen corporis ſatis opimi, ad ſalubritatem temperati breveſque; Officiorum divinorum, tam matutina quàm veſpertina, celebratio non intermiſſa. Quamnam literatæ Senectæ requiem aut ad animi ſolamen jucundiorem, aut ad cultum vitæ humanioris procurandum, ſpeſque cœleſtes fovendas magis accommodatam, Sapiens quiſpiam poſſet aut cogitatione ſibi fingere aut votis expetere? Et is erat Burtonus cui hæc non fruſtra a Providentiâ divinâ concedebantur beneficia. Neque enim mollitiei ſe dedidit: Nihil illi turpius videbatur quàm communis utilitatis derelictio: Nulla unquam dies eum arguebat immemorem Officii, aut (quoad per valetudinem liceret) in rebus ſacris frequentandis negligentem; nulla politioris Vitæ falſa ſpecies ſuadere potuit ut delicatulos mores indueret,

indueret, aut inſtituta vetera novis conſiliis, permutaret.

Si quid interea publice agendum fore audiret ſive apud Oxonienſes ſuos, ſive Londinenſes, ſive Cantabrigienſes, quod ad Reipublicæ vel Literariæ vel Eccleſiaſticæ dignitatem emolumentumve aliquo modo pertineret, (nec graves aliquæ negotiorum Collegialium cauſæ ſubeſſent, cur intra Clauſtra ſua ſe reconditum teneret) in iis Celebritatibus frequentandis exultabat ſicut Alii in Venationibus, vel Circo, vel Ludis. Nullum gratius habuit ſpectaculum quâm eorum Conventuum, qui eum in finem indicebantur, ut ſe proferrent ingenia Juvenum et oſtentarent.

Indignabatur autem quoties aliqui, qui honeſta Academiæ Eccleſiæve ſtipendia ad ſe traxiſſent, ſive Otio, ſive Socordiâ, ſive Voluptate, ſive Incuriâ ab iis retrahi ſe ſinerent.

Juventutem ingenuam eximio favore complectebatur. Siqui in Scholâ Etonenſi ingenio eruditione et modeſtiâ præ cæteris eminerent, quotieſcunque a ſcholaſticis negotiis dimiſſionem acceperant, eos otii ſui comites adſciſcebat, omnique benignitatis officio proſequebatur, ut Studiis eorum aliquid alimenti conferret: Cum iis lectitare aliquid aut audire, id illi erat inſtar omnium voluptatum, quas Alii quærere ſolent aut in

Ludis

Ludis nocturnis, aut Comiſſationibus. Neque interim ullâ officiorum intermiſſione utebatur, quæ ad ſocietatis nexum arctiùs conſtringendum pertinerent. Omnia benevola, faceta, candida, et ſincera: Nullæ Simultates, Suſpiciones, Jurgia vel Odia.

Magnatum et Potentiorum limina rarius frequentabat; licet non paucis notus, et, pro conſuetudinis gradu, quam cum eo habebant, acceptus et dilectus. Cum enim ſui potens viveret, et in ſe ſua omnia poneret, placidus et immotus ſubinde cernebat Alios rapido Ambitionis flumine huc illuc delatos; imò miſerabatur ſtrenuam multorum inertiam qui, cum ſe Literis dediſſe nomina profiterentur, nihil aliud agere videbantur, quàm ut de domo in domum aliquid apportantes Novi circumcurſitarent, et in Circulis volitarent; in Moribus, in Veſtitu, in Studiis ſedulo adnitentes, ut quidvis potius quàm vel Academici vel Clerici haberentur. Noluit iſta Temporis pretioſi ſibi concredita Talenta in inſulſis Salutationibus diſperdere, quæ Collegialibus Officiis aut Studiis Literarum debebantur. Viros certe genere et loco honorabiles, datâ quâvis occaſione, omni obſervantiâ cultuque honoris proſequebatur. Delicatulos, Stultulos et Faſtuoſos ipſe ſuæ conſcius

conſcius Dignationis tacitâ quâdam prætermiſſione reprehendebat.

Præſulum complurium familiaritate et amicitiâ utebatur; eo forſan gratior et acceptior, quòd nihil unquam a quopiam rogaverit, quod ad ſe ipſum vel res ſuas augendas et amplificandas pertineret: Optimo Doctiſſimoque Seckero, Cantuarenſi, in Ædibus Lambethanis contubernalis ſemper gratiſſimus; Ingenioſo Integerrimoque Haytero, Londinenſi, a primâ fere adoleſcentiâ ad mortem uſque amiciſſimus.

Imis porro Clericorum ordinibus non minus carus; quippe omnibus ſive Conſilio, ſive Operâ, ſive Hoſpitio paratus prodeſſe, conſulere, gratificari. Nulla ſuperbia in Congreſſionibus; in Colloquiis nullum opprobrium aut ſui impotens iracundia; nulla importuna Triſtitia, quæ Juniorum innocuis voluptatibus obſiſteret. A caritate etiam Vulgi non abhorrebat; nihilque jucundius habebat, quàm ut omnia, Agros, Hortos, Viciniam, Famulatum, Servos, circa ſe læta cerneret et ridentia.

A. D. 1752. ad gradum S.T.P. capeſſendum ſe accinxit. Cum itaque in rebus Academicis nihil unquam perfunctorie et negligenter egiſſet, in Exercitiis pro Gradu præſtandis *ſolenniter Legere* decrevit: Prælectioneſque

neſque ſuas, continuâ Argumenti ſerie concatenatas, poſtea edidit[a] in uſum Juventutis Academicæ; ſi forſan aliquos cupido inceſſeret Fundamenta Chriſtianæ Religionis vel probe noſcere vel recte conjicere.

Et quidem de Facultate ejus Theologicâ[b] latiſſimus dicendi campus patet. Teſtis[c] Oxonium, Teſtis[d] Etona, Teſtes Londi-

[a] Diſſertationes de Fundamentalibus, vid. etiam Conciones tres de Samuele, et cum Appendice de Studiis Theologicis inſtituendis, &c.

[b] Initium illi Curarum Parœcialium in pauperculâ Vicariâ de *Buckland*, in agro Berckerienſi. Curam Vicariæ de *Mapleder-ham* in Com. Oxon. ſuſcepit, A.D. 1733. Ad Rectoriam demum de *Worpleſdon* in agro Surrienſi inſtitutus eſt, A.D. 1766.

[c] Præter eas Conciones, quas edidit, maxime memoratu, forſan et Editu, dignæ ſunt Illæ, quas de Articulis Symboli Tridentini refutandis coram Academiâ Oxonienſi habuit. Nimirum cum de Papiſticorum errorum contagione epidemicâ querelæ quædam paſſim increbreſcerent, occaſionem hanc oblatam libens amplectebatur, quâ Academicorum quorundam deſideriis gratificaretur, Hoſti iſti inveterato bellum indicendi. Arcem itaque eorum illam primariam, quæ in Symbolo Tridentino collocatur, ſibi oppugnandam ſtatuit, eamque perite aggreſſus repetitis aſſultibus expugnavit, diruit.

[d] Cum Vice-præpoſiti Etonenſis partes ſunt, inter alia, ut Catechiſtæ officio in Capellâ Etonenſi fungatur, diligentiſſime illud munus graviſſimum, ſicut et alias ſuas vices Concionandi, Burtonus ſolebat obire. Et, licet in hujuſmodi Prælectionibus palmam omnibus præripuerit Magnus ille Seckerus, nemo tamen Burtono melius ſciebat variare modum Præceptionis, pro variâ indole Audientium. Coram Ruſticis memoriter, curſorie, et ſimpliciter ad eorum captum ſe demittebat, vires ſuas minuens et conſulto extenuans: Coram Doctis, prout Catechiſtæ

nenſes[a]; Teſtes illæ Conciones, quas edidit, ſive Anglicano[b] ſive Latino ſermone conſcriptæ, eum fuiſſe Concionatorem elegantem, ingenioſum, ſubactum, doctum. Nemini certe Concionanti coram Academiâ auditor contigit magis ſedulus vel frequens. Faxit Deus, ut, quæ Juvenes ab eo vel dicta audierint vel ſcripta legerint, ea cum ſtylo imitanda, tum vitæ ratione effingenda ſibi proponant!

Quantum Arte Criticâ valebat ſatis oſtendunt variæ illæ de variis ſcribendi generibus Diſſertationes Præfatiúnculæque, quibus præmunienda duxit Opuſcula ſua. Oſtendunt Opuſcula ipſa; quandoquidem veram Criticæ Artis excellentiam in eo præcipue ſpectari crediderim, ſiquis vim et elegantiam optimorum Scriptorum imitando aſſequatur. Quàmque idoneus erat ad *Editoris* munus exequendum, luculento documento comprobavit in Πενταλογια.[c]

Etonenſis munus poſtulavit, graviter, ornate, et erudite diſſeruit de Religionis Chriſtianæ Fundamentalibus.

[a] Conſulantur ea quæ coram Clero Londinenſi concionabatur de *Fundamentalibus* in Conventu ejus ſolenni. A.D. 1756. Ad Prælecturam Moyerianam obeundam in Æde Cathedrali D. Pauli evocatus A. D. 1750, Auditorum expectationibus et Argumenti dignitati abunde ſatisfecit.

[b] Duobus Voluminibus comprehenſæ, Oxon. 1766.

[c] Sciat Lector Burtonum iſtas quinque Tragœdias optimæ ſpei Pupillo, Joſepho Bingham, typis excolendas commendâſſe.

Ipſe

Fideliter et accurate Textum ipſum exhibere eſt illud quidem permagnum, ſed Editori cum Typothetâ commune; non tam Laudi ducendum, quàm ſi negligenter id fiat Vituperio dandum. Ad ulteriorem gradum aſſurgit is, qui collatione MSStorum diligenter inſtitutâ ex Variantibus Lectionibus colligit quodnam cuique loco conveniat Vocabulum, quique Grammaticarum et Lexicorum diligens evolutor verba et phraſes exhibet ſuo quaſque ordine dilucidatas et explicatas. Qui porro nexum et filum Orationis oſtendit, quomodo tela ſit exorſa; quonam finiatur; cuinam Uſui deſtinetur; quomodo omnia apta et accommodata ſibi conveniant, et amice ſecum invicem conjurent ſive ad oblectationem ſive ad profectum Legentis; qui demum, quaſi in Cathedrâ Judex conſtitutus, ſententiam profert dignitate gravem, judicio ſolidam, accuratione limatam, is omni laude,

Ipſe formam operis præſcripſit et in eo ornando adjutorem ſe præſtitit. Iſto autem Juvene immaturâ morte perempto A. D. 1736, poſtquam Collationem plurium MSS. perfecerat, excudique curaverat univerſum fere Textum Notaſque ſubjectas, hâc calamitate oppreſſum Opus diu delituit, et in Burtonum, quod reliquum erat Onus, tam Laboris quàm Impenſarum, recidebat; qui, cum Præfatione, Diſſertationibus, Indice, et Curis ſecundis, iſtam Πινακολογιαν tandem publici juris fecit. A. D. 1758.

quæ ad Editoris Claſſici officium pertinet, cumulatus videatur.

In Opere memorato videre eſt ſingula verba Philologicâ ſtaterâ fideliter penſitata et explicata. Tota Dramatis in ſingulis Tragœdiis ordinatio (præcipue in *Sophoclis Oedipo Tyranno*) diſtincte evoluta exhibetur; Obſervationes ingenio vividæ, judicio ſubactæ ſubnotantur: Diſſertationes elaboratæ de Dramaticæ ſcriptionis genere proferuntur medullam continentes omnium, quæ ſive inter Noſtrates ſive Gallos Recentiores, ſive etiam Veteres Græcos, reperiuntur; addito Indice perutili, variantibuſque Lectionibus appoſitis: adeo ut Editio iſta tanquam in ſuo genere primaria jure optimo aliis Editoribus proponenda videatur tanquam in ſpeculum inſpicienda, unde ſibi, quod ex uſu fiet, imitandum deſumant et ſequantur.

Lætiores interea Muſas, indivulſas fere ſibi comites, experiebatur faciles eaſdem et amicas; ſed caſtas, ſed innocuas, et nullâ cum cujuſquam contumeliâ laſcivientes. Quoties Oxonienſes ſuos inviſeret, Illæ ſemper præſto aderant, ut adjutrices manus adhiberent in ſolennibus pompis ornandis, ſive opus eſſet tubâ [a] Virgilianâ vel lyrâ [b] Horatianâ:

[a] Huic uſui in Comitiis 1733 inſerviit Carmen illud de *Sacerdote Paræciali*. [b] Vide complures Odas in eundem finem conſcriptas inter Opuſcula.

tianâ : Cum eo [a] Ruſticabantur, et [b] Peregrinabantur ; nec inter ipſa [c] Ægrotationum diſcrimina et dolores unquam fere illum deſerebant.

Mirabantur Multi quonam e penu tot et tam varia tantulo cum laboris impendio poſſent depromi : --- tardi nimirum et elumbes, qui, ut aliquid literarium magno cum negotio vix, aut ne vix quidem, extunderent, ſolenne habuerunt in Muſæorum ſuorum latebris ſe recondere. --- Rudes interea Leveſque, qui quid eſſet aut Verſum concludere, aut Concionem Theologicam, propriis viribus, fabricare, vix unquam cogitando eſſent aſſecuti, non ſine faſtidio quodam contemnere Hunc Hominem nec Veſtitu nitidum, nec in Officiolorum formulis verſatum : --- Alii demum, quos, licet magna profeſſos, ſuæ tenuitatis literariæ conſcientia tenebat, ſubmurmurare, et eum ſubrodere tanquam in alienis rebus nimis curioſum, ſuarum negligentiorem ; --- Otioſum ; --- eundem tamen (quod mirum) nimis ſcriptioni deditum, et nimis ſæpe Concionantem.

Imo vero Burtonus ita animo imperârat ſuo et exercitatione diuturnâ ſubegerat, ut quidvis laboris ſuſcipere patique et vellet et poſ-

[a] Οδοιπορητος Μιλιτημαται—Iter Suſſexienſe—Bathonienſe &c. [b] Αποδημητος Μιλιτημαται. [c] Νοσητος Μιλιτημαται.

ſet ;

ſet; ad omnia negotia literaria obeunda ſemper paratus. Cultioris vitæ elegantias ſplendidas lautaſque non tam neſcivit quàm neglexit, ut extra ſe locique et ordinis ſui ſtatum poſitas. Omnes in repub. literariâ Cives, ſi modeſtos, ſi diligentes, fovendos eſſe cenſebat, omnique operâ ſuâ, hortatione, exemplo eſſe ſuſcitandos ut aliquo modo Reipub. prodeſſent: Huc pertinebant, quæ vel ſcripſit vel molitus eſt omnia. Nec arrogantis eſſe putavit quod ipſe placeret ſibi, dum in retroactæ ætatis ſpatia ſubinde rediret fidenterque pronuntiaret, ſeſe ita ſemper inſtitutum atque animatum fuiſſe, ut, poſthabitis rationibus privatis quibuſcunque, utilitatibus publicis unice ſtuderet. --- Si in re nummariâ negligentior haberetur (quandoquidem his moribus ita vivitur, ut Animi plerorumque occupentur in lucello unde unde arripiendo, talentiſque rotundandis) attamen cum nullam prolem ſuſceperit alendam, exiſtimavit fas eſſe ſibi morem gerere et ſeipſum quaſi ſibimet hæredem conſtituere, *mammonamque injuſtitiæ* pro libitu tractare, imo diſperdere pecuniam, --- ſi modo is diſperdere dicatur, qui [a] *mittit panem ſuum ſuper tranſeuntes aquas*, quique [b] *lætus facile tribuit, communicat, theſaurizans ſibi fundamentum bonum.*

[a] Eccleſ. 11. 1. [b] 1 Tim. 6. 18.

Nec

Nec interea, dum ſibi vacaret et ſecum una verſaretur, ignoravit quàm multa incommoda obrepens Senectus indies ſecum ferret. --- Decrevit tamen ei, quantum fas eſſet, ſibi eſſe obluctandum: et, dum manere ſibi ſenſit ingenium, manſit induſtria.[a] Nunquam, ſive eum Lectulus, aut Porticus, aut Hortus, aut Currus exciperet, ſibi defuit. Quamvis Corpus otioſum ex neceſſitate quâdam videbatur, attamen Animus uſque vigil erat et erectus, aliquid ſemper agens et meditans quod ad ſe et ad ſtudia ſua pertineret, ſive illa eſſent gravia, ad Theologicas curas ſpectantia, ſive ludicra et levia ad jucunditatem Amicorum compoſita.

Cum tandem ad Senectutem accideret, ut Oculi, jam diu hebetes et obtuſiores, acie tandem debilitatâ fatiſcerent, ita ut Lectione ablatâ nihil fere reſtaret unde ex alienæ ſapientiæ copiâ aliquid excerperet quod apponeret ſuæ, tempus adveniſſe ſenſit ſeſe et ſarcinulas ſuas colligendi. Cumque ſibi proviſum eſſe judicaret de teſtando affectu ſuo erga Academiam, Religionem, et Studia Theologica, aliquid addendum inſuper decrevit, ut oſtenderet quanti ipſe ſemper feciſſet Literas Humaniores. Hoc intuitu in faſciculum colli-

[a] Laudationem iſtam elegantem Seckeri Memoriæ conſecravit annum agens ſeptuageſimum ſecundum.

gere

gere et digerere inſtituit aliquammulta eorum, quæ hoc in genere antea luſerat, *Opuſcula Miſcellanea*. Hoc autem Volumine vix ad umbilicum perducto, Febris quædam Eryſipetaloſa, repentino ingruens impetu, omnes Animi, pro ætate ſatis vividi, cogitationes perturbavit, conſilia ademit; Corporiſque, Senio jam vacillantis, vires penitus dedit confractas. Subinde tamen, per menſes pluſquam duos, licet rarioribus intervallis, Animus videbatur ſe erigere, et ad Studia nota velle recurrere. Nihil interim in eo querulum aut demiſſum: In hoc omnes, quæ reſtabant, Cogitationes intentæ, ut Amicis dolendi anſam præcideret, et ut Juventuti prodeſſet.

Fiebat itaque ut pridie quam moriebatur, (ea ſcilicet erat Dominica) illa fere jam extincta vitæ lucerna videretur, quaſi novis olei deficientis ſuppetiis inditis, reluxiſſe. Sub veſperam quinque vel ſex bonæ indolis Diſcipulos, prout illi mos erat, ad ſe advocari jubet. Humaniter placideque accepti. Sublatis iis quæ ad ſolamen corporis pertinebant, Lectitatio alicujus probæ Diſſertationis Theologicæ eſt inſtituta, et quidem longius producta. Burtonus ipſe, pro materiæ ſubjectæ varietate, acer in notando, diſertus in explicando, et in admonendo ſolito gravior apparuit.

Inde

Inde Medico et circumſtantibus novæ ſpes. Somnum tamen, et eum quidem placidiſſimum, proximo mane [a] Mors inſecuta eſt, placido illi ſomno quàm ſimillima.

Cum Illo itaque quis neget præclare actum eſſe, "qui (ut de Cyro majore memorat Xe-"nophon) cum Puer eſſet, eorum quæ in "ætate puerili præclara exiſtimantur, fruc-"tum ſibi conſecutus eſſe videbatur; et A-"doleſcens, eorum quæ virilis ætas habet, "Quin et progreſſu temporis vires ſuas auc-"tas animadvertere videbatur: adeo ut Se-"nectutem ſuam *per complures annos* Adoleſ-"centiâ neutiquam imbecilliorem factam "ſenſerit;" cui demum annis et morbo oppreſſo contigit vires ſuas aliquatenus in extremo actu recolligere? Quid enim optabilius forti in Chriſto Militi et ſpectato ſæpius Veterano, quàm ut in Ordinibus iterum conſtitutus locum teneret, et quaſi ſtans moreretur?

Talem Virum, licet nullo in Honoris Eccleſiaſtici faſtigio collocatum, nullis Titulis Cathedralibus inſignitum, omni honore fuiſſe dignum nemo non fatebitur; --- dignum certe cujus Exemplar tot virtutibus imitabile recenti diu vigeat Memoriâ. Illius enim vis quàm latiſſime patet; ad medii ordinis Sacer-

[a] Feb. 11. A. D. 1771. Æt. 75.

dotes Parœciales, ad Academicos, ſive illi Socii ſint, ſive Tutores, ſive Officiarii, ſive demum Editores. Quanti eum fecerint Etonenſes ſui, ſupremâ elatione[a] teſtatum fecit ſolenne quoddam omnium Ordinum ſilentium, omni comploratione aut præconio longe facundius.

Me itaque, qui puer adhuc ita ad Burtonum fuerim deductus, ut ab illius latere vix unquam diſceſſiſſe videar, Me, inquam, quid pudeat operam qualem qualem in eo ornando collocâſſe? Ipſa argumenti dignitas ſua ſe vi abundè ſuſtinet. Neque tamen interea non gratulandum mihi eſſe arbitror, de eâ auctoritate quam paginæ meæ conciliabit Tui nominis in Orbe literato notiſſimi, in Academia et Eccleſia acceptiſſimi, præſcriptio. Imo, cum familiaritas, quæ apud Nos orta a primo Tuo adventu ad Academiam, huc uſque incrementa ipſâ diuturnitate acceperit, apprime lætandum et gloriandum mihi arbitror de hâc occaſione oblatâ publice prædicandi me Tibi, Vir Digniſſime, eſſe omni Obſervantiæ et Amicitiæ ſtudio devinctiſſimum

EDVARDUM BENNETHAM.

Ex Ædc Chriſti Oxon.
Apr. 18. 1771.

MVSEVM BRITANNICVM

[a] Sepultus erat in Introitu Capellæ interioris Etonenſis.

BOOKS by EDWARD BENTHAM, D.D.

THE Connexion between Irreligion and Immorality. An Aſſize Sermon. 6*d*

A Sermon before the Hon. Houſe of Commons, on Jan. 30. 6*d*

Reflexions upon Logick; with a Sketch of the Hiſtory of this Art. 2d Edit. 1*s*

An Introduction to Moral Philoſophy; with a Sketch of the Hiſtory of this Science; and a Table of Reference to Engliſh Sermons &c. on Moral Subjects. 2d Edit. 1*s* 6*d*

Two Letters on Diſaffection to Government. 2d Edit. 1*s* 6*d*

Advices to a young Man of Rank upon coming to the Univerſity. 6*d*

Λογοι Επιταφιοι, or Funeral Elogies upon Military Men, from Thucydides, Lyſias, Plato, Xenophon in Greek &c. with Notes in Engliſh. 2d Edit. 1768. 3*s* 6*d*

De Studiis Theologicis Prælectio. 1764. 6*d*

Reflexions upon the Study of Divinity; with Heads of a Courſe of Lectures. 1*s* 6*d*

De Vitâ et Moribus Johannis Burtoni, S. T. P. Epiſtola ad Rev. adm. R. Lowth, Epiſc. Oxon.

BOOKS by EDWARD BERNHAM, D.D.

THE Connexion between Irreligion and Immorality. An Address. 6d

A Sermon before the Hon. House of Commons, on Jan. 30. 6d

Reflexions upon Logick; with a Sketch of the History of this Art. 2d Edit. 1s

An Introduction to Moral Philosophy; with a Sketch of the History of this Science; and a Table of Reference to English Sermons &c. on Moral Subjects. 2d Edit. 1s 6d

Two Letters on Dissolution to Government. 2d Edit. 1s 6d

Advices to a young Man of Rank upon coming to the University. 6d

Apparatus, or Funeral Elogies upon Military Men, from Thucydides, Lysias, Plato, Xenophon in Greek &c. with Notes in English. 2d Edit. 1768. 3s 6d

BRITISH MUSEUM

De Studiis Theologicis Prolegio. 1764. 6d

Reflexions upon the Study of Divinity; with Heads of a Course of Lectures. 1s 6d

De Vita et Moribus Johannis Burton, S.T.P. Epistola ad Rev. adm. R. Lovell, Epist. Oxon.